

Zibaldone 14. - aggiunte allo Statuto della Congregazione dei Cappellani

14.1 - aggiunte allo Statuto, 1607. (carta 198.)

Ad Statutum Congregationis Cappellanorum Civit. Tarvis. Additiones

pag. 96. supra descripta ex Ms. Burchelato

(ottavo fascicolo - carta 198.; fino a fine manoscritto lascia libero solo il margine sinistro)

XXXIX.

Quoniam (*in margine*) novis morbis nova convenit antidota preparari, et ubi non sufficiunt antiqua Juris Statuta, novae Constitutionis est remedio providendum, Attendentes quod plerique ex fratribus nostrae Congregationis dum magis proprie libidini et voluptati inserviunt, quam honori et animarum saluti abiectis oneribus divinatorum officiorum et alijs ex dispositione Statutorum veterum debite supportandis, frequenter in villas et nemora se conferunt spaciatum per Urbes, et alias, et Castella nulla impellente necessitate per multos dies, ac etiam menses continuos convagantes, et onera quidem respuentes lucrum libenter amplectuntur in fraudem et detrimentum illorum qui labores universos et onera incumbentia subierunt, pondus diei et aestus pro se et alijs portantes,

Statuimus et ordinamus quod si quis ex fratribus nostrae Congregationis per tres menses continuos a Civitate Tarvisina absens fuerit eo ipso privatus sit omnibus fructibus redditibus et proventibus dictae Congregationis nostrae illius anni, Annus autem intelligatur incipere a Khal.dis Maij Juxta antiquiora Statuta, et Consuetudinem hactenus observatam.-

XXXX.

Item (*in margine*) inherentes Statutis prioribus et antiquitatis Consuetudinem cui majores sanxerunt reverentiam exhibendam firmiter observari volentes dispositionem Statuti decimi octavi p.nti Constitutione innovamus, Addentes quod de elemosinis erogandis juxta tenorem illius Statuti, quae ex approbata consuetudine per Massarium dicte Congregationis ad arbitrium Fratrum pro rata ad unumquemque spectante usque ad summam per Primicerium et majorem partem ipsius Congregationis praestitutam pauperibus solent distribui, nihil possit disponere nec dispensari facere is, qui anniversario generali non interfuerit ad horam in Statutis constitutam ultra poenam sol. X.m in in dicto Statuto decimo octavo impositam, quam omnino incurrat,

Volentes insuper quod Massarius praedictus de dictis elemosinis vel earum parte nihil possit distribuere, nec suis parochianis pauperibus nec alijs, sine licentia primicerui et majoris partis Congregationis, antequam per ipsum primicerium et majorem partem fuerit constitutum, quantum sit dispensandum, et hoc sub pena libr. trium parv. per ipsum massarium contrafacientem infra sex dierum terminum persolvenda, quam si infra dictum terminum non solverit, sit et intelligatur esse extra Congregatione usque ad condignam satisfactionem, et omnino habeatur pro absente a dicto anniversario generali, tam respectu penae X:m solidorum per ipsum incurrendae, quam distributionis elemosinarum ut supra faciendae, quod si per quindecim dies penam antedictam non persolverit, illico privatus sit, et perpetuo ab ipsa Congregatione remotus tanquam contumax et obstinatus.-

XXXXI.

Item (*in margine*) quum non debeat quis inde comodum percipere, unde meruit incomodum reportare, statuimus et ordinamus, quod statuta irrogantia penas pecuniarias . . .

his qui negligentes fuerint in eundo ad divina officia tam festorum principalium, vocabulorum (?) fratrum suorum, quam anniversariorum et processionum firmiter observentur.

Volentes et statuentes quod dictarum penarum divisio fiat per massarium dictae Congregationis inter praesentes dictis divinis officiis, illis omnino exclusis, qui fuerint propter negligentiam condemnati, qui quidem de ipsis penis nihil percipere possint, et ad majorem firmitatem praesentis statuti, dispensationem contra ipsum penitus inhibemus.

XXXXII.

1607. Die Sabbati 25. Mensis Ap.lis

Convocatis (*in margine*) omnibus fratribus Venerandae Congregationis Tarvisii per d. Benedictum ejus Nuncium, et Congregatis ad Ecclesiam S.ti Laurentii (ut moris est) pro rebus aliquibus tractandis dictae Congregationis.

Praesentatum fuit per R. D. Gasparem Ancaranum Rectorem Ecclesiae Sancti Pancratij et Primicerium dictae Congregationis sequens Statutum seu Capitulum de invitandis fratribus ad funera Ecclesiarum Parochialium.

Quod ballotatum fuit, et acceptatum: Votis prosperis decem S. n.o 10. et contr. duobus S. n.o 2.

Quoniam (*in margine*) saepe fit quod ratio et optimus ordo nostrae Congregationis perturbatur et subvertitur ab aliquibus inobedientibus, et non considerantibus se jurasse quando assumpti fuerunt in Congregatione inviolabiliter observaturos Statuta dictae Congregationis: et praecipue quando occurrit occasio invitandi fratres ad funera defunctorum in aliqua Ecclesiarum Parochialium Tarvisij dictae n.rae Congregationis.

Ideo statuimus et ordinamus quod de caetero omissis Capitulis Quintodecimo, Vig:mo p:mo et trig:mo p:mo: Quilibet Rector, vel Capellanus alicujus dictarum Ecclesiarum, quandocunque habuerit mortuum in sua Eccl.a vel in sua Parochia: Siqui invitandi fuerint ad ipsius defuncti funus, teneatur et debeat in primis invitare, seu invitari facere R.dum D. Primicerium et deinceps R.dos D.nos Rectores vel Capellanos dictarum Eccl.iarum Congregationis qui personaliter ire debeant: nec possint alios mittere loco sui, nisi sint Sacerdotes, vel saltem sacris initiati: nec ullo modo audeat alios extra Congregationem invitare: nisi numerus invitandorum excedat numerum Confratrum n.rorum Congregationis sub poena solidorum octo pro quolibet, et pro qualibet vice: et si monitus semel, bis, et ter ad summum, non solverit dictam poenam. cadat in poenam contentam in Capitulo trig:mo quinto in hoc libro Statutorum, quod sic incipit. Quoniam necessarium est propter perversorum contumaciam etc.-